

hisce, si Luna 39 pars est terræ, facies eius 19 pars esset vultus aquæ, quæ dimidiam terræ obvelat faciem. Qua ergo ratione in minore quanto, maior est virtus, quam in maiore? Alia et hæc. Quando Luna, Australia percurrit Zodiaci signa, et iis qui sub arcto habitant, paululum supra horizontem accensus, et horrendus apparet carbo; et nullis radiis septentrionalem percutit Oceanum, sed eum ii quasi præterlambunt, et transvolant, cur maria ea oestuunt? Adiungamus. Si Luna amor esset Oceani, et lumine suo cum eo coit, et pregnantem facit, et tota sua mensis lunatione cum eo amores suos agitat, cur quatuor mensis diebus, Oceanus ociosus residet, et lunæ agitationi continuæ, suo agitato non respondet. Tanta varietas ab una profecto causa non venit. Una eademque uniformisque causa, unum, et eundem, uniformemque, in uno, eodemque et uniformi subiecto, effectum parere debuit Luna; si Oceani esset dux, et amor, at non parit eundem; Luna ergo sola, tam variorum effectum non est causa. Eadem absurda consequentur eos, qui in unum Solem tot æstuum causam retulerunt, aut in motum primi mobilis, aut in cœli quartas, aut in cœli partem Luna oppositam. Quam ergo aliam Lunæ causam uti sociam addemus? An forte Solem? Ita sane Solem. Sol enim calore suo, radiorum suorum, luminisque calore, calores omnes rebus nostratibus inditos primævos, tum conservat, tum vivificat, tum excitat, tum in opus deducit. Calore vivificato, et vivificante, omnia ad motum, idonea redduntur, et reddita cientur motu, quasi vita altera ab interna, in exteriorem prodeunt vitam. Sicuti enim primaria vita, in essentia motio, et actio fuit ostensa, et secundaria vita, motio, et actio ab essentia ad externa, ita maris calor primævus, a Solis calore fatus, et excitatus in motum fert Oceanum, et in cæteriorem quandam vitam. Luna vero, quam terram, et aquam alteram ætheream, esse demonstravimus, humores omnes hos terrenos, tum fovet. Tum servat, tum viviscat, tum nutrit, tum in motionem excitat, et concitat. Et sicut ipsa Solem variis aspectibus quasi amores suos indies, in horas intuetur, et ab eo seminibus æthereis, superisque incorporis, et idealibus, grava redditur, sic ipsa Oceanum, amores suos aspectibus variis inque horas, inque dies contuetur, ipsamque reliquosque humores hosce terrenos, iisdem, quibus a Sole grava est facta seminibus, gravidos fæcunquedo facit. Id autem sine sui motione, sine luminis diffusionem, sine influxuum seminumque effusione nequaquam fiat. Igitur ad Lunæ motum, ad Lunæ cum Sole, cum terra, cum Oceano aspectus, ad eius lumen, ad eius etiam tenebras, quas minimum esse lumen, iam ante ostendimus, ad seminum influxus, humores nostrates omnes fœcundantur, vitam concipiunt, ventrem gerunt, parturiunt, fructus pariunt, eosque alunt, et ad vitam, et motionem concitantur. Et comoventur, et alterantur. Hæc autem omnia similitudine æthereæ terræ, et aquæ, qui Luna est, ad terrenam Lunam, et aquam, quæ terrestris hic, et aquens seu globus sit, seu corpus qualecumque, necesse est fieri. Similitudinem *συννοικείωσιν* sequitur, et cognatio, et quædam veluti consanguinitas. Ab his oritur sympathia, a sympathia favor, fovorque mutuus, et fotio. Ab his actio, et commotio, humorum omnium. Si ita est, ubicumque in terra sint humores, et quidem qualescumque, Lunæ subditi sunt; Luna summum in eos habet imperium. Dulces, amarus, acres, acidus, austerus, falsos, aliosque oes imperio premit. Non tamen omnes eius imperio æque parent, æque commoventur. Neque enim omnes eadem sunt substantiæ consistentia, aut æquali, vel raritate, vel densitate. Neque eodem omnes sunt calore, aut æquali. Experimenta id docent innumera. et philosophis in confesso est omnibus, aquas dulces, fontium, fluviorum, lacuum, tenuiores, rarioresque esse minusque corpulentas, quam sint falsæ aquæ, quam sint marinæ, quam sit totum ipsum mare, totusque Oceanus. Itaque has facilius navium pondera sufferte, illas his sepiissime supernatare. Si ita est, et Luna in omnes aquas imperium habet, cur non omnes æque commovet? Quia omnes æque ei parere non sunt paratæ. Cur nullæ dulces, tot motibus, tamque variis cientur, quot cientur maria. Differentia hic non a Luna Solius est imperio, non a Solis concitatione, quæ universales quædam sunt causæ. Sed particulariores sunt, et inquirendæ, et advenienda causa, cur salsæ cieantur, dulces cieantur minime. Sed quid vetat maris propriæ naturæ hoc tribuere? Nam sicuti stellas propria natura,